Hac ipsa hora nuntium tristissimum accepimus: Ill^{mus} princeps, dominus et benefactor noster mortuus est.¹ Quamobrem ad M^{tem} Tuam post Deum accurrimus, opem et auxilium, et defensionem postulantes. Non est dubium, quin hostes fidei catholicae multum gaudebunt. Nihil enim magis in votis habere videbantur, quam mortem principis, sed spes nostra in Domino Deo est, et post eum in protectione M^{ts} Tuae. Collegii nova fundatione opus est; eam, uti Romae fuit emendata, misi M^{ti} Tuae per manus Ill^{mi} principis statim post comitia.² Possessionem etiam aliarum trium villarum, nempe: Kajántó, Tiborcz et Bogártelke iam quidem accepimus, sed statuitio non est facta, neque in tribus villis prioribus, neque in his posterioribus. Itaque optime fecerit Maiestas Tua, ut nobis novas litteras foundationis quamprimum huc mittat per certum nuntium, et nos in hisce possessionibus statui faciat.³ Ac postea fiat etiam terminorum lustratio et renovatio; ne qua nobis cum vicinis existat litigandi causa. Iam in civitate habitamus non prorsus incommodi, et scholas novas statim post Pascha⁴ aperuimus. Confluit ad eas iuventus, maxime nobilium. Iam superant numerum centesimum. Optime iam progrediebantur omnia, nisi nobis tam subita Ill^{mi} principis decessio omnia perturbasset. Pollicitus erat nobis Ill^{mus} princeps singulis annis 1000 florenos ad aedificia. Iamque hoc anno persolverat 800, restabant 200, quos mihi promiserat statim Alba Julia se missurum, sed ecce Domino aliud visum est, et ego sum debitis intricatus, et operarios ita repente dimittere non audeo. Nondum enim est promulgata mors principis. Maiestas Tua consulat, obsecro, rebus nostris quantum potest. Scholae etiam istae 5, quibus nunc utimur, nondum sunt plane profectae. Desunt pavimenta, fenestrae aliquot, fornaces et argilla super laquearia, etc. Nostrae etiam habitationes multis rebus adhuc indigent, ut nihil dicam de templo, quod caret fenestris. Speramus in pietate ac munifi-

¹ Báthory Kristóf 1581 május 27-ikén délután 4 és 5 óra közt halt meg gyulafejevári palotájában; Gyulafi Lestár följegyzései 18. l.

² Ez a kolozsvári országgyűlés 1581 május 10-ikén oszlott el.

³ Az alapító-levél akkor már útban is volt.

⁴ Husvét első napja ez évben márczius 26-ikára esett.

centia Celsitudinis Tuae. P. Ludovicus⁵ noster a decima Aprilis graviter decumbit ex paralyssi pedis et lateris sinistri, nihil hactenus adiutus est medicinis. Ill^{mus} princeps quamdiu vixit, curam eius diligentem fieri voluit. Nos M^{tis} Tuae litteras et ordinationem expectabimus, etiamsi aliquid faciendum sit ab haereticis pro Christi nomine, nec a nostris exercitiis, quantum poterimus, quicquam remitemus. Dominus Jesus M^{tem} Tuam nobis quam diutissime servet incolumem, cui me hoc M^{tis} Tuae collegio unice commendo. Fratres illi tres nostri missi a M^{te} Tua Varsavia ante unum fere mensem ad nos pervenerunt, et iuvant nos strenue.

Claudiopoli, 29. Maii. Anno Domini 1581.

Maiestatis Tuae servus in Christo

*Jacobus Vagr[ovitiu]s Superior Collegii
Claudiopol. Societatis.*

(Caligari pk. lengyelországi nuntius irodájában készült egykorú másolata a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia” 18. k. 165/6. l.)

12.

Kolozsvár, 1581 szeptember 21.

P. Szántó István Raynaldus Frigyes vatikáni könyvtárosnak.

Pax Christi.

Miraris iam olim sat scio, Friderice ornatissime, quid causae sit cur hactenus nihil ad te litterarum dederim.¹ Verum, ubi diuturni silentii causas cognoveris, admirari desines. Sumus enim hic sylvis et montibus undique circumsepti, ac proinde pauci hinc in exterarum nationes et distantes provincias egrediuntur, et pauciores huc ad nos ingrediuntur. Itaque hic certorum et idoneorum tabellariorum maxima laboramus inopia. Deinde tametsi nobis nunciorum non infrequens esset copia, a laboribus tamen assiduis et seriis occupationibus, raro aliquid superest temporis, quod exarandis litteris, et amicorum dulcissimis colloquiis impenderemus. His accedit quod res novae inauditae et iucundae, quibus Romani delectantur, et de quibus oportuisset me ad te scribere, non soleant hic contingere, nec aliunde huc inferri. A vobis igitur magis huiusmodi novitates quam a nobis expectandae sunt. Cum Roma caput mundi et mater sit vicissitudinis et novarum rerum, ut quod veteri proverbio recte de Africa usurpabatur (semper aliquid Africa apportat novi) verius nunc de Roma dici potest: Ἄσὶ ἡ Ῥώμη τι καὶνὸν φέρει. Verum ut possis facile cognoscere ubi simus gentium, et quid agamus, sic breviter accipe.

Septima Decembris anni 1579 Roma discessimus, et multis in itinere molestiis et difficultatibus superatis, post 3 fere menses salvi Claudiopolim civitatem Transylvaniae pervenimus; ubi hactenus perseveravimus et perseverabimus quamdiu divinae bonitati visum fuerit. Bellum autem nobis hic est continuum cum quadruplici genere haereticorum: Trinitariis

⁵ Értendő Odescalchi Lajos atya.

¹ E kifejezésében Szántó atya megfeledezett arról, hogy 1580 februárius 25-én már írt Raynaldusnak, miként 3. sz. a. levele bizonyítja.

scilicet, Anabaptistis, Calvinistis et Lutheranis; ex quibus plurimi iam transierunt et quotidie transeunt in nostra castra. Apud hos nihil prorsus habent auctoritatis Scotus,² S. Thomas,³ Alexander Halensis, Holkot,⁴ Bricot, Durandus,⁵ *Decreta, Decretales, Concilia, Patres ecclesiastici*, aut Pontificis auctoritas, ratiove naturalis, sed purum tantum verbum Dei, extra quod nihil omnino volunt recipere et admittere. Itaque hic nobis non multum usui esset amplissima illa tua *Vaticana bibliotheca*; cum omnia fidei nostrae dogmata ex sacris litteris sint demonstranda; et ad haec comprobanda biblia sola nobis sufficiat. Tu tamen insignem illam bibliothecam augere optimis libris, ut caepisti, non cesses, ut contra omnes hostes ecclesiae idonea semper in ipsa arma inveniantur, quae et nobis aliquando usui fore speramus, postquam haereticorum furor et rabes paululum conquieverit. Modum autem augendae bibliothecae unum tibi nunc perfacilem ostendam. Ultimi quattuor libri historiarum Nicephori⁶ in vestra *Vaticana* desiderantur, qui his diebus manu scripti lingua Slavonica inventi sunt in Mysia in coenobio Sancti Sabbae apud monachos Servianos, quos qua ratione facile habere possis cognosces ex patre Bartholomaeo Sfondrata, qui mense Augusto huc ad nos per Bulgariam et Mysiam transvolavit, mense autem sequenti Ragusam est reversus; hinc brevi, ut spero, Romam ad vos revertetur, qui plura vobis de nobis, de statu rerum nostrarum, et de omnium harum provinciarum dispositione viva voce referret. Si tamen magis ista ex nostris litteris cognoscere cupis, legas nostram epistolam ad nostrum P. Generalem datam;⁷ in qua satis fuse de omnibus, quae scitu digna videbantur, tractavimus. Nihil ergo aliud iam restat, quam ut te valere feliciter et cornicum ac cervorum annos superare exoptem.

Datae Claudiopoli e nostro collegio, anno ab orbe redempto 1581, die 21. Septembris.

Tuae M. Dominationi addictissimus

Stephan9 Arator Pannoni9 mpr.

Külczime: Prudenti et erudito viro Domino Friderico N. [Raynaldi] bibliothecae Vaticanae praefecto, unice nobis dilecto et observando. Romae in palatio Pontificis.

(Sajátkezüleg irt eredetije a római vatikáni könyvtár *Regina* 2023. kötete 23. l.)

13.

Kolozsvár, 1581 szeptember 21.

P. Szántó István Sirleto Vilmos bíborosnak.

Illustrissime domine. Pax Christi.

Immensus tuus amor, et benevolentia, quam erga me, quamdiu Romae fui ostendisti, virorum eruditissime, et omni observantia dignissime,

² Duns János XIV. századi hires franciskánus barát írói neve.

³ Ez Aquinói Tamás, szentatya.

⁴ Holkot Róbert egyházi író.

⁵ Durand Vilmos XIV. századi kánonjogi író.

⁶ Nicephor Calixtus bizanczi író valamelyik műve.

⁷ A jezsuita-rend generalisa ekkor már fél év óta P. Aquaviva Claudio volt.

facit, ut tui nunquam, etiam in summis meis laboribus, et occupationibus oblivisci queam. Versatur enim mihi adhuc in recenti memoria tua dulcissima familiaritas, iucundissimi sermones, et plena charitatis verba; recordeo rarae pietatis tuae in Neophitos: non sum immeror, quam multas molestias, quamque frequentes labores, pro nostra natione libenter subieris, et fortiter pertuleris, pro quibus nullus hactenus satis dignas egit, sed nec agere poterit, gratias: ego tamen quantum in me erit, animum demonstrare gratum, nullo unquam tempore praetermittam. Ut igitur haec tua in me, meamque gentem benevolentia perpetuo conservaretur, hac te, vir piissime atque prudentissime, epistola, paucis salutare, et meam erga te gratitudinem declarare volui, ut intelligeres eundem meum erga te animum, qui semper fuit, etiam in his sylvis Transylvanicis perseverasse; et deinceps quoque Deo propitio perseveraturum. Biennium enim fere est, ex quo Roma a vobis discessimus, et in hanc civitatem Transylvaniae a superioribus nostris (ad frequentem Ser^{mi} regis Poloniae, et principis Transylvaniae petitionem) missi sumus, ut afflictae huic patriae, et in diversas sectas, per Trinitarios, Anabaptistas, Sacramentarios, et Lutheranos, misere distractae, mature opem ferre summa animi contentione niteremur. Et sane (Deo nostros conatus promovente) labor noster in hoc regno non fuit prorsus inutilis, nam hoc biennio amplius 400 ex haereticis diversarum sectarum, ecclesiae catholicae sunt reconciliati, et in dies maior spes nobis de aliis offertur. Haec sunt, domine Ill^{me}, quae nunc ad tuam pietatem scribenda habui. Misimus *Catalogum lectionum*, quae iam in novo nostro gymnasio doceri caeptae sunt.¹ Opto Tuam Illustritatem D. recte valere.

Datae Claudiopoli, e nostro collegio. Anno a Christo nato 1581, die vero 21. Septembris.

Tuae Illustrissimae Dominationi addictissimus et obstrictissimus

Stephan9 Arator Pannoni9 mpr.

Külczime: Illustrissimo, atque prudentissimo viro Guilhelmo Syrleto Sacrae Romanae Ecclesiae cardinali amplissimo. Romae, in Palatio Pontificis.

(Mindvégig sajátkezüleg irt eredetije, IHS jelvényüi kis jezsuitagyüiris-pecsétjével lezárva, a római vatikáni könyvtár *Vat. lat.* 6180. kötete 110. l.)

14.

Niepolomice, 1583 februárius 13.

Báthory István király alapító-levelé a kolozsvári jezsuita-collegiummal kapcsolatos seminarium részére.

P. Possevino Antal gondoza egykorú másolata a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia” 94. k. 71. l.

Ellenjegyzé: Martinus de Berzeuicze cancellarius.

Nyomtatásban megjelent Kaprinai István id. m. I. k. 48—49. l. Henrich id. m. 88—90. l. Theiner Ágoston: Annales ecclesiastici III. k.

¹ Ez sajnos már nincs meg sehol a vatikáni levéltárban.

(Róma. 1855.) 446—447. I. *Veszely* id. m. I. k. 322—324. I. *Jakab* id. m. oklevéltára 137—139. I.

Magyarra fordítva kiadta Jakab Elek id. m. II. k. 324—325. I.
Méltatták mindazok, a kiket a *collegium* alapító-levelénél felsoroltunk.

15.

Kolozsvár, 1583 márczius 18.

P. Possevino Antal jezsuita-atyja szabályzata a kolozsvári seminarium részére.

Ratio seminarii pontificii, et regii administrandi a R. P. Antonio Possevino praescripta Claudiopoli, die XVIII. Martii 1583.

Quamvis interioris charitatis lex, quam Christus Dominus unicuique christiano et orthodoxo per spiritum sanctum impressit, ea sit, quae seminarii praefectos, et tam eos qui illis praesunt, quam alios qui eis subduntur, agere ac dirigere debeat, ut in omnibus id quod divinae bonitati summopere placet, atque rebus publicis et regnis est salutare, diligenter perquirant, ac sedulo in rem conferri curent: quoniam tamen suavis divinae dispositionis ordo requirit, ut ei cooperemur, mediaque illa, et methodum adhibeamus, quibus facilius exitum consequamur, propterea quibus id mediis effici possit, dicemus.

In primis ea Pontificis Maximi Gregorii XIII. Domini Nostri atque Ser^{mi} Stephani regis Poloniae, qui hoc seminarium Claudiopolitanum institui mandarunt, mens est, ut quicumque ad id admittentur, ii intelligant, sibi quandiu in eo fuerint, esse necessarium, diligentem operam optimis moribus, pietati ac studiis litterarum adhibere pro ea ratione, quae ipsis proponetur in scholis collegii Societatis Jesu, hic ipsa in civitate Claudiopolitana a Ser^{mo} rege Stephano instituti. Ac proinde neque vagari per civitatem, neque alio absque praefecti facultate migrari debebunt, ut sensim humilitatis et obedientiae virtutibus assuescentes, tum principi suo, quem maxime revereri debebant, atque in primis Deo discant ex animo omne obsequium praestare, tum ea ratione intelligant, fore, ut ii, quibus aliquando praeerunt sibi obediant. Vix enim quisque alios regere, vel obedientes habere poterit, qui aliis (ac praesertim probis viris) non paruerit, et obedire didicerit. Caeterum quoniam de moribus, de litterarum studiis, de pietate dici uberius possent, ea petenda erunt ex aliorum seminariorum regulis, propterea haec ad illas quandoquidem omnibus pro suo captu quadrant, referimus.

De admittendis.

Delectus accuratissimus habebitur in admittendis alumnis. Et cum haec cura continenter adhibenda sit, tum certe summo conatu, ac re frequenter divinae sapientiae commendata, hoc initio pervigilis sit oportet, qui id exequendi munere fungetur, recordatus, ex firmitate fundamenti firmitatem aedificii pendere. Quamobrem nec privatus affectus, neque studium aut favor alicuius rationi et ordini hinc erit anteposendus. Praestat autem paucos potius selectissimos hoc principio habere, qui rectissime efformentur, quam multos, qui disciplinae inenervatae seminario labem aliquam aspergant, et denique tanquam malorum

ovorum mali pulli fiant. Sic vero fiet ut post paucos menses, quibus ipsa res firmiter statuatur, animentur et Ser^{mus} rex atque Ill^{mus} princeps quique ab eo praecipui pendunt ut praesidio sint operi recte inchoato ac si quos proposituerint admittendos (quod pro ratione eius summae quam Illustris princeps ei sive iis quibus id mandaverit, integrum erit) illi iis dotibus, ac certe eo ingenio praediti sint, quod seminarii leges una cum debita aetate requirunt.

Sciant autem qui admittentur, uti pauperes (sed decenter tamen) esse alendos, idque seminarii sumptibus esse faciendum. Quod si qui ditiores ob disciplinae et ob maiorem virtutis amorem in seminarium admitti voluerint, iis hoc ea lege concedetur, si primum sumptus seminario pendant, quanti iustissime iudicabuntur sine ulla lucrispe, aut specie; deinde si communi victus ratione una cum aliis uti voluerint. Qua in re siquid postea tempus ostenderit, quo mensis eorum alii ibi addendi essent, id tum ab iis quibus haec cura demandatur perpendendum, an expediat. Demum victum, magistros gratis habebunt: pannorum item, seu indusiorum lotionem, ne ea occasione aut tempus terrant, aut alia vagentur; ipsi tamen sese induent vestibus omnibus suo sumptu, librosque sibi ement, ac lectos sive stragula secum afferent, quae omnia item secum auferent, cum ex seminario discedent sic enim multo plures alentur, bonumque ipsum, quo erit communius, eo divinius erit. Quod si alicui orphano, vel pauperrimo alioquin magnae expectationis adolescenti modus vestium comparandarum deesset; praefectus una cum R^{do} P. rectore, sive cum eo, quem idem pater rector collegii nostri iudicabit, dispiciet, quam ratione minimo cum onere seminarii id effici possit.

Qui vero ecclesiasticis muneribus addici voluerint, iis quidem, nisi habuerint unde sibi vestes comparent, aliquae saltem dari poterunt sed ita ut pro honesta ratione clericorum induti incedant, ac moribus interioribus saepe perfectius intelligant eo vestium genere ornari debere. Ut vero earundem vestium spe, seminarium haud fraudent, opera detur, cum id vitae genus sponte se se electuros non semel interrogati affirmaverint, ut ea de re caveant probi alicuius viri sponsione seminario rite oblata, ac per scribam publicum publicis actis inserta. Quod si postea non praestiterint, sciant sibi vel sponsori suo sumptus esse refundendos quos mala fide in seminario exhausserint.

Qui munere examinandi eos qui admitti petant, fungentur, scripto habeant, et adeo ex legibus ipsis seminarii petant ea quae ab iis requiruntur.

Difficili ingenio adolescentes, aut turbulento, quive hebetes sint, aut aliquo morbo laborent, nec studiis litterarum vires fortasse idoneas habent, non admittentur.

Aetas minimum erit quindecim annorum. Neque enim expedit, ut tam tenera aetate sint, ut nutrice potius quam praeceptore egeant, aut dum plures quam par est annos seminarii sumptus exhauriant, nec ipsi reipublicae usui sint, et aliis ostium praecludant qui citius id possent praestare. Quod si quis tam precioso esset ingenio, ut aetati minori id videretur condonandum, is suis poterit sumptibus ali tantisper dum ad iustae aetatis terminos pervenerit, sin autem aliqua alia ratio subesset, cur id antevertendum videretur, expectetur ea de re quid

respondebo, ubi rationes ad me diligenter a praefecto fuerint praescriptae. Quod quidem et in aliis rebus quae viderentur hisce regulis obstare intelligendum est, ut omnia ordinate fiant ad laudem et gloriam Domini Jesu Christi.

De modo admittendi.

Quanquam vero admittendi ratio accuratius iis in regulis cerni poterit, quas Vienna vel Olomucio quamprimum mittam, interim tamen haec observabuntur. Ne statim in seminarium admittantur quicumque aliunde vel mittentur aut venerint. Sed primum scholas aliquos dies frequentent, in quibus ingenii specimen edant: eorumque propensio, sive pronitas attente ab aliquibus observetur. Quinam vero id observare debeant iudicium esto tum praefecti, tum R^{di} P. rectoris, nisi id totum praefecto relinquere voluerit. Cum vero in seminarium admittendus iudicabitur, per aliquot paucos dies ne ei minima cum aliis familiaritas permittatur. Quin vero expediet, ut ottidui spatio separatim maneat, iisque de rebus et seminarii legibus diligentius instruat sic enim magis disciplinae observatio illi placebit quique rationes ordinis eius primum audierit, erga eumdem facilius afficietur. Caeterum ex Hungariae regno alumni admittendi erunt, sed omnino inprimis tum ex Transylvanis et ex Saxonis civitatibus, tum ex iis comitatibus qui extra Transylvaniam Ill^{mo} principi parent.

De dimittendis.

Qui iam sua studia absolverint, aut eo usque progressi, qui usui alicui reipublicae ac regno esse poterunt, ii dimitti poterunt.

Si in morbum aliquem vel paralysis, vel eius generis morbum inciderent qui difficile curantur.

Si obscena, et turpia agentes vel loquentes aliis scandalo essent, neque admoniti, serio respiscerent.

Si fures et pacis domesticae perturbatores, nec ordinem et institutum seminarii sequi vellent.

Si perniciosas doctrinas, et libros invehi curarent, aut in summa contra seminarii bonum intelligeretur esse si diutius ibi commorarentur, omnes eiusmodi (praemoniti tamen, et charitatis paternae, atque studii solidas in praefecto rationes experti) dimitti debebunt, adhibito prius post rem Deo commendatam R^{di} P. rectoris consilio, sive eorum, quos ille iudicaverit.

Modus dimittendi.

Is autem qui iustas ob causas dimitti debebit, danda erit opera, ut si quis e senatoribus aut primarius aliquis alius vir eius admittendi procurator fuisset, praemoneatur per litteras ne non adhibitam esse diligentem in eo corrigendo charitatem aliquis suspicaretur aut is qui dimitteretur culpam suam in alios iniuste transferret.

Ac tamen curandum erit, ut recedat ex seminario quo ad eius fieri poterit sine dedecore vel ignominia, suaque omnia (ut dictum est) secum asportet.

Quod cum ad exteriorem dimittendi rationem pertineat, tum interior illa erit adhibenda, nempe ut cum charitate atque erga seminarium

benevolentia, eaque quae poterit secundum Deum consolatione ipsius et aliorum aedificatione discedat. Ut vero in se ipsum prodigat aut facinoribus laxet habenas, is serio dirigendus erit, et ut Deo non semel commendetur, enixe curandum.

Quod si vel quia dimissionem hanc commeritus fuisset, vel quia studia sua iam absolvisset, abire deberet, viaticum deberet, intelligat primo, et quidem antequam admittatur, hoc a seminario non esse praestandum. Quamobrem siquid pecuniae cum admittetur habuerit, eam profecto suo vel cui ille iniunget, servandam tum ad eum usum, tum ad aliquas suas necessitates tradet.

Neque enim quisquis alumnorum pecuniam retinere debebit, ne et ad luxum et ad gulam abutentes sibi, caeterisve sint detrimento. Sciant vero interim quidquid ii servandum daturi sint, id optima fide restitutum iri.

De conservandis, et augendis in omni genere virtutum iis, qui usque ad praefinitum tempus permanent in seminario.

Cum quaecunque ad virtutis et reliquarum rerum conservationem in iis qui permanent in seminario ad quatuor capita referri possint, vestium et librorum quos secum ferent, vel subinde coemerint, ad quas item attinet mundicies, et cultus honestus ac decens: corporis, cuius sanitas ad Dei gloriam exercitatione, laboribus moderatis, et sobrietate quanta satis est, procurari debet, animi qui virtutibus et litterarum studiis sedulo excolatur. Unionis animorum, ne qui Hungari sunt et non Transilvani, aut Scytuli, vel Germanicarum aut Saxonicarum civitatum, ac si qui alii ex Polonia, vel aliunde fuerint, invicem mordeantur aut is qui inter christianos omnes esse debet mutuus amor, ulla ratione ledatur propterea haec erunt accurate servanda, quae tamen fusius in iis regulis de quibus superius scriptum, explicabuntur.

Seminarii administri et qui vocantur officiales.

Licet ipsum seminarii clementem ostendet, maiore opus esse numero eorum qua (?) qui modo ipsius curae sunt adhibendi. Nunc tamen hi necessarii esse videntur: *Praefectus, Emptor, Ianitor, Cocus, Praefecti socius*, qui eo absente alumnos moderetur et in officio contineat et quidem ad reliqua, si quae opus fuerint paranda, aut ad inserviendum iis, qui mensae accumbent (ut hac quoque ratione discant inservire, atque ad omnia praesto esse) adhiberi poterunt vicissim alumni, sicuti et ad ea legenda quae divinam scripturam, historias aliaque pia (dum caeteri comedunt) attinent.

Porro his omnibus non solum regulae tradentur, quae aliorum seminariorum officialibus tradi solent, verum etiam curandum erit, ut eas statis temporibus perlegant, atque antequam ad ea officia adhibeantur, intelligant. Interea vero dum illae mittentur, exponet praefectus quae ad emptoris et caeterorum officia spectant, quae quidem magna ex parte sunt, qualibus in collegiis nostris uti cum eiusmodi hominibus solemus.

Praefectus et ipsius gubernatio.

Cum ii qui aliis exemplo, et animi moderatione ac sedulitate praelucere debeat invigilandum sit, ut se tanquam speculum omnium virtutum teneris istis plantis exhibeat, tum diligenter omnia nosse

curet, quae gubernationem seminarii attinent. Primum ut animarum, deinde corporum, postremo bonorum temporariorum vigilem curam habeat. Itaque expediet, ut futura prospiciat, quidve suis temporibus procurandum sit, id ut effici mandet, ipseque manum operi admoveat, quibus in rebus erit ab eo admovenda.

Ac quod ad se, eosque pertinebit, qui de Societate nostra pro tempore secum manebunt, sciat se debere in omnibus pendere a R^{do} P. rectore collegii Claudiopoli tamen in iis quae nostrae Societatis institutum attingunt.

In caeteris vero quae spectabunt ad gubernationem seminarii, habebit quidem eam facultatem quae observandis legibus et executioni mandandis iisdem intelligetur. At vero et consilium dicti rectoris potius quam aliorum sequetur, et illum in rebus alicuius non mediocri momenti semper consulat.

Neminem nostrorum aut invitabit, aut admittet ad seminarium nisi plane iubente R^{do} P. rectore si quis sua sponte venerit, admonebit fideliter eundem R. P. rectorem. Externos item alios haud haud facile admittet ad seminarium, omneque genus conviviorum difugiet, ut fideliter in pauperes pecunia impendatur.

Pecunia ipsa seminarii, donec aliud statuatur in collegio apud R^{dum} P. rectorem manebit ea in cista, quam propterea relinquo. Una autem clavis eiusdem cistae sive arcae apud R^{dum} P. rectorem, altera apud praefectum retinebitur.

At cum pecunia ad ordinarios usus et sumptus erit eximenda, scribetur eo in libro, qui semper in arca seu cista dicta manebit, cuius libri alterum similem apud se habere procurabit, ex quo rationes dati, et accepti superioribus suis reddere possit.

Sciat nec commodato, nec quovis alio praetextu pecuniam a Pontifice Maximo et a Ser^{mo} rege seminario addictam in collegii usum, neque in cuiuslibet alterius negotii, quantumlibet boni unquam esse convertendam, vel ne mutuo quidem accipiendam, idque sanctissime esse observandum. Nec vero R^{dum} P. rectorem neque procuratorem, nec adeo R^{dum} P. provincialem posse de ea nisi ad seminarii usum quidquam omnino statuere: idque tantum pro ea ratione, quae secundum mentem eius Sanctitatis et eius Maiestatis facultatem, aut mihi a R. P. Generali concessam vel declarata est, vel subinde declarabitur.

Curet ut emptor rationes ita distincte conscribat, ut singulis sex mensibus earum notitia possit haberi.

A rusticis potius quatenus in foro triticum vel alia emi curet, si inde viliori pretio coemi poterunt. Qua in re navus sit et prudens, mediaque interim disquirat ut hanc notitiam assequatur ut fidelis in domo Domini sit dispensator.

Ordinariam tantum domus unam ianuam habeat, cuius sit fidus ianitor et maiores rimas, siquae in interstitiis limitum fuerint asseribus obstruat, ne vel aliis in domum aditus vel domesticis alio exitus pateat.

Non aedificet quidquam in domo conducticia, sed tantum ea optari, vel effici curet, quae necessaria sunt, quaeque si emigrandum erit inde auferri possint.

Locum quique lectulo suo distinctum, et vel storeis, vel in gratela divisum habeat, ut honestati omni suus sit locus, occasio vero omnis

amoveatur, pua ne ipsos quidem oculos laedant. Sic enim Hungaricae avitae, puritatis laus iterum, Deo iuvante maximum in huius regni commodum reflorabit.

Librum habeat, in quo quidquam ad Dei gloriam acciderit, excipiatur, quod singulis annis erit tanquam *Annua epistola* perscribendum, et ad me mittendum, vel ei cui seminariorum cura pro tempore incumbet, ut et Summo Pontifici et Ser^{mo} regi atque Ill^{mo} principi fructus in bonis moribus et litterarum studiis constare possit. Si quid accesserit ad seminarii bona, id libro adscribatur, in quo rerum mobilium et immobilium distinctus catalogus sit.

Ad me singulis mensibus scribat, et quodcumque eius superiores iudicaverint, aut ipse necessarium esse existimaverit admodum R. P. Generali de ipsius quoque seminarii rebus.

Reliqua in eiusdem seminarii regulis, quae ut dixi mittentur, continebuntur, sed quod numerum alumnorum spectat, is per hos menses, quibus paranda erit aliqua suppellex, et aptanda nonnihil loca, aut tabulae suae cuique parvae tradendae, erit eiusmodi, ut aliqua summa restet in manibus, qua provisiones maiores effici possint, et aes alienum ne confletur. Jesus filius Dei vivi adsit suo operi. Amen.

Antonius: Possevinus de Societate Jesu.

(Eredeti másolata a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia“ 15. B. kötete 177–181. l. Kiadta sok hibával Theiner 1855-ben „Annales ecclesiastici“ cz. m. III. k. 450–453. l.)

Megjegyzés. E nagybecsű iratot Possevino Olmützből, 1583 április 14-én irt levele e soraival küldte meg Báthory István királynak Lengyelországba: Mitto Regiae M^{ti} V^{rae} leges seminarii Claudiopolitani, quas de me quaesierat minutiora quae aguntur in scholis, quae ne ad interiorem domesticam disciplinam retinendam pertinent, communia sunt cum reliquis seminariis, quae in legibus, quas condidi, visum haud est, inserere, ne ipsi quoque senatores Transilvaniae, aut alii hoc initio deterierentur si catholicae fidei confessionem exigi ab alumnis, aut aliquid aliud eiusmodi vidissent. Itaque permisi nostris ut sinerent id opus, paulo magis grandescere filiorumque in corda patrum animi converterentur, deinde illa sensim iusinuarentur, quae ad seminarii, atque adeo provinciarum finitimarum firmitatem sane spectant. (Eredeti másolata a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia“ 15. B. kötete 186. l.)

16.

Kolozsvár, 1584 februárius 26.

P. Campani János Pál lengyelországi provinciális Bolognetti Albert massai püspök, bíboros, lengyelországi nuntiusnak.

Ihs M[aria.] Ill^{mo} et Rev^{mo} Monsignore,

Non potrei isprimere il gran contento che habbiam ricevuto tutti dalla promotione di V. S. Ill^{ma} a quel grado.¹ Però me la tacerò, ritenendo nel seno la consolatione presane per non l'aggravare in

¹ Vonatkozik arra, hogy XIII. Gergely pápa Bolognettit bíborossá nevezte ki.

tant' altre gratulationi che riceverà da ogni parte; in cui vece io con li miei ne habbiam reso iodi et sacrificii a Dio, et pregatone Sua Divina Maestà, che come le ne ha dato prima il talento, et il merito, che il grado, così le doni sempre accrescimento delle sue gratie et favori per impiegar l'uno et l'altro sempre all'essaltatione del suo santo nome, et di sua Santa Chiesa.

Doppo ch'io scrissi da Alba sul principio di questo mese, ho ricevuto una lettera di V. S. Ill^{ma} del primo di questo anno...²

Fornito c'hebbi i trattati miei c'ol Triumvirato³ assai felicemente, hora tutto di sono con li senatori di Colosvaro per occasione di trovar luogo al seminario, et quantunque io sia venuto sprovisto di lettere di favore da Sua Maestà, nondimeno con ragionare tre hore io nel senato di varie cose, che forsi non gli furonmai dette, et del Sommo Pontefice, et della setta loro, et hora quattro o cinque volte si sono congregati in collegio, desiderosi pure di fuggirla di non ci dar luogo proprio per fabricare il seminario, come la fugirono l'anno passato, con haver loro si comprato una casa, ma solo concessala in affitto per un anno al seminario, hor finalmente hieri doppo molte repliche si sono ridotti a promettere di fabricare in detta casa comprata, a spese loro, al valore di 300 talleri, perchè possa capire da 50 alunni per questi tre anni, mentre delle pensioni si fabbricherà il seminario, et quello che è stato il più, s'hanno finalmente lasciato tirare a consentire di lasciarsi comperare 4 o 5 case dirimpetto al collegio nostro, che s'haveranno per meno di quello che quell'una sola dell'anno passato; ma bisognerà far fabrica di nuovo, a tal che haveremo spatio proprio, et commodo, et buono per il seminario, et su gl'occhi del collegio; ma in più bel sito, per essere su la piazza della chiesa, con aria libera et meridionale davanti, et settentrionale a dietro. Dimani spero comperarne alcune, però già sta espugnato il senato, cosa che non mi promettevano li presidenti; et però si mostravano difficili al scriverne al senato, per non parere di violare li loro privilegi, li quali veramente sono grandi, non come dell'altre città; ma vanno al pari della nobiltà del regno. Ma come *chi la dura, la vince*, pur finalmente Dio gl'ha mosso il cuore, et oltre ciò con questo quotidiano commercio anche si vanno dimesticando con noi, per poi potere con più facilità aiutarli. Così anche là, Dio gratia, siamo liberati da quel Sassone che piantatosi nella scuola Ariana, portava grandissimo danno a questo collegio et seminario. Hora doppo d'haverli fatto una paterna ammonitione, doppo d'haver trattato più volte di lui co'i presidenti, n'ho curato un bando da tutto il regno, altrimenti stava per maritarsi qui et fermarsi in quella lettura; ma senza usarlo, nè divulgarlo, ha piaciuto a Dio di farlo fugire, sentendo che io tornavo da Albagiulia, acciò non havessimo occasione di violar ponto quella lenità di spirito tanto amica dell'instituto nostro. Dio di tutto sia lodato. Il dottor Marcello Squarcialupi⁴ s'ha ridotto a ottimo termino d'esser aiutato et di già comincia a far bene et lasciare alcun male; saria gran

² Rövidség okáért elhagytuk itt a tartományfőnök levelének két lapját, melyeken nem erdélyi dolgokról ír.

³ Azt a háromtagú tanácsot érti, melyre István király az ifjú Báthory Zsigmond nevelését bízta.

⁴ Ez a gyulafejevári udvar olasz orvosa.

merce, se V. S. Ill^{ma} lo racconciasse co'l Simonio,⁵ che poi ne spererei il compimento d'ogni bene, Ho scritto un' epistola al dottor Blandrata a requisitione del maiordomo maggior del principe; faccia Dio che operi almeno quanto oprò un'altra a quell'altro dottore Squarcialupi. Starò vedendo ciò che dirà o farà; ma temo non stia già abbandonato, pure: *dum spiro spero.*

Fra 8 o 10 giorni vorrei potermi spedire di qui per Varadino, dove però ho mandato avanti un padre, per la grande istanza che me n'ha fatto quella città, stando infermo quel padre, che v'era. Di li, ordinate le cose, vorrei andare al S^r Nicolo Bathori in Ecsed, per vedere se desidera da noi alcun servitio speciale. Già oltre le due scuole nel palazzo del principe n'ho aperto un'altra pubblica nella città d'Alba, dove tanti concorrono che il padre Lesio domanda un secondo maestro, et non hanno più che otto giorni che mandai quell' altro.

Menerò con meco da sette o otto giovini Ongari et Siculi, come lo ha desiderato il P. Possevino, per dar con quelli o numero, o principio al seminario di Vilna, se non è anchor cominciato; etc.⁶

Di Colosvaro, a' 26 di Febraro 1584.

Di V. S. Ill^{ma} et R^{ma} indegno servitore nel Signore

Gio: Paolo Campani mpr.

Külczime: All'Ill^{mo} et R^{mo} M^{re} [in] Christo colendissimo, il S^r cardinal [Bolognetto,] Legato Apostolico in Polonia. Cito, cito.

(Mindvégig sajátkezűleg irt eredetije a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia“ 15. C. kötete 5–7. lapján.)

17.

Róma, 1583 februárius 5.

XIII. Gergely pápa bullája a kolozsvári seminarium részére igért 1200 tallérnyi évi segélyről.

Extractum ex bulla assignationis pensionis 1200 scutorum auri pro seminario Claudiopolitano per Gregorium XIII.

Motu igitur proprio, nostraque scientia in civitate Colosvariensi, quae inter alias eiusdem Transylvaniae civitates caput existit, unum collegium *seminarium* appellandum, etc. auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus; illudque sic erectum, curae, regimini, et administrationi pro tempore existentis rectori collegii eiusdem Societatis Colosvariensis, etc. subiicimus, etc. Insuper ipsi collegio per praesentes erecto pensionem annuam ab omni, et quocunque onere ordinario, et extraordinario, etc. etiam motu simili ac consistorialiter pro tempore impositis, liberam, immunem, et exemptam mille et ducentorum scutorum auri in auro, super omnibus, et quibuscunque pecuniis, et iuribus undecumque provenientibus, et proventuris officii datariatus nostri, et Romani pontificis pro tempore existentis; super quibus nos quidem diversas alias pensiones annuas ad quantitatem septem millium et

⁵ Ez a Simonio Simoní meg István király olasz orvosa volt.

⁶ A levél végét, mint tárgyunkra nem tartozót, szintén elhagytuk.

ducentorum, diversis aliis collegiis seu seminariis, et personis, ac etiam hodie unam aliam aliorum mille et ducentorum scutorum alteri huiusmodi collegio pro Rhutenis, et Moscovitis Vilnae in Lithuania a nobis pariter erecto, motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones annuae etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, vel aliis personis, aut collegiis, et locis piis assignatae, ac cuiuscunque quantitatis et summae sint, eidem collegio per praesentes erecto, illiusque rectori, vel eius procuratori ad id ab eo speciale mandatum habenti, per dilectum filium nostrum, et pro tempore existentem datarium, eiusque depositarium singulis mensibus pro rata, eademque in principio cuiusque mensis, et ante alias omnes pensiones reservatas, et reservandas ad quindecim annos integros, a kalendis Aprilis proxime venturis numerandos, etiam successorum nostrorum, Romanorum pontificum temporibus, integre persolvendam, eidem auctoritate et tenore reservamus, constituimus et assignamus, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo octuagesimo tertio.¹ Nonas Februarii. Pontificatus nostri anno undecimo.

Kivül, vatikáni kézzel: 1583 Kal. Aprilis.² Motus proprius pensionis assignatae seminario Claudiopolitano a Gregorio XIII. ad 15 annos. Col S^r cardinal San Giorgio.

(Possevino egy 1584-iki leveléhez csatolt egykorú hibás másolata a római vatikáni Borghese-levéltár III. 14. b. 1. kötete 259. lapján.)

Megjegyzés. A kolozsvári szeminárium részére biztosított pápai évjárdékot nyújtó bulla hiteles szövege ma már nincs meg még a vatikáni levéltárban sem, mivel XIII. Gergely u. n. *motu proprio* kiadott bullájának másolati könyvei hiányosak és hiányosak. Az itt bemutatott szöveg pedig csak első fogalmazványa a bullának, akkor keltezve, mikor Rómába első híre jött István király nemes szándékának, de alapítólevele még nem volt kiállítva. Az t. i. 1583 februárius 13-án kelt, megelőzve a pápa ajánlatát, melyet írásba foglalva nem is adhatott ki hamarabb, míg a királyi alapítólevél szövegét nem ismerte. Ennek másolata csupán hat hét múlva jutott Rómába, a miről Ptolomeo Galli b. államtitkár 1583 április 9-ikén ekként ír Possevino atyának: S'è havuta la patente regia, et visto in essa l'assignamento delli 1200 ducati Ungari per il collegio di Transilvania, per lo quale si stabiliranno quì ancora li 1200 scudi per 15 anni, quali N. S^{re} vuole, che di qua si contribuiscano alla medesima opera. (Eredeti fogalmazványa a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Germania“ 13. k. 54. l.) A bulla végleges kiállításának kelte tehát még ennél a levelénél is későbbi; de pontosan meg nem állapítható.

¹ A szövegben *secundo* olvasható, de e kézzelfogható másolási hibát helyreigazítja a datum kiegészítő sora, mely a pápa uralkodási évét 11-nek mondja, a mi tekintve, hogy XIII. Gergely 1572 május 13-ikán választott pápává, 1583-nak felel meg helyesen.

² Ez is hibásan volt 1582-nek írva, de még 1583-ra javítva sem jelzi a bulla végleges kiállításának keltét.

18.

Kolozsvár, 1587 deczember 8.

P. Wujek Jakab rektor Aquaviva generálisnak.

Iam quid hic nobiscum sit actum, R^{da} Paternitas V^{ra} breviter accipiat. In principio mensis Novembris celebrata sunt comitia Claudio-poli¹; quo tempore praemissa quadraginta horarum oratione, et aliis poenitentiis, facta est a nostris studiorum renovatio. Itaque exceptus est princeps orationibus et carminibus, tum in collegio a nostris, tum in seminario, tum in congregatione Beatae Virginis. Audivit comoediam *De Sancto rege Stephano* patrio; interfuit nostrorum disputationibus philosophicis et rhetoricis; nam theologicis *De Christi divinitate*, quas habuimus paratas, gubernator² non permisit, veritus aliquem tumultum adversariorum. Concionati etiam sunt nostri non solum ungarice, sed etiam latine in gratiam principis; et probarunt non esse idololatriam sanctos venerari et invocare, et eorum imagines et reliquias honorare; etc. Hisce actionibus nostrorum, ita commoti sunt animi etiam adversariorum, ut suos nobis filios certatim commendarent. Quidam haeticissimus, pene iudaeus, filium suum in seminarium nostrum commendavit, ut aliquando fungi legatione apud externos possit. Sed interea in comitiis omnem lapidem movebant Christi adversarii, ut nos e Transylvania pelleremur. Itaque suadebant modis omnibus idololatriam e regno esse tollendam (intelligunt autem per idololatriam nostram catholicam fidem,) nec aliud quidquam in comitiis agendum esse, priusquam de religione constiueretur; supplicaruntque principi totius regni nomine, ut nos tolleremur. Quod ubi non sunt consequuti (imposito eis a senatu, principis nomine, silentio) rursus tumultuari coeperunt, contententes, ut unus saltem ex nostris principi adesset; caeterum ut nostri neque scholas, nec templum haberent. Sed neque hoc obtinere potuerunt, Deo pugnante pro nobis per senatum, et nobis tacentibus. Nam etsi gubernator et totus senatus sit Calvinianus, et plerique eorum cuperent nostros hinc abesse, et principem optarent esse suae sectae, tamen propter politicas quasdam rationes, maxime ob regis Poloniae Stephani piaae memoriae³, et principis Christophori voluntatem, *etiam testamento expressam*, et ob manifestam utilitatem et honorem quem vident per Societatem invectum in Transylvaniam, etiam inviti coguntur Societatem defendere. Itaque iam pacem habebimus usque ad comitia generalia vel ad illud tempus, quo princeps ipse per se gubernare incipiet. Interea parabimus *apologiam* latine et ungarice, qua demonstrabimus: non esse idololatriam Christum ut Deum adorare, sanctos invocare, et illorum reliquias et imagines venerari; Christum in Sacramento vere praesentem adorare. Et rursus

¹ Ez itt egy kis emlékezésbeli tévedés, a mi onnan származott, hogy a kolozsvári országgyűlés 1587 október 28-ikán fejeződött be, de a rendek egy része még november elején is a városban tartózkodott.

² Kocsárdi Gálffy János kormányzó.

³ Már csak néhai Báthory István király, mivel 1586 deczember 12-én meghalt Grodno várában.

Rationes evulgabimus sub alicuius amici nostri nomine⁴, *cur Societas in Transylvania retinenda sit*.⁵ Tantummodo adiuvet nos R^{da} Paternitas V^{ra} suis et Societatis nostrae sanctis sacrificiis et orationibus.⁶

A levél éln: Ex litteris P. Jacobi Vagrovitii viceprovincialis Claudiopoli 8. Decembris 1587 ad P. Generalem Societatis Jesu.

(Egykorú másolata a római vatikáni levéltár „Nunziatura di Polonia“ 33. k. 557/8 l.)

19.

Kolozsvár, 1595 november 2.

P. Wujek Jakab rektor P. Garcia Alabianusnak, a krakói jezsuita-missio főnökének.

Ser^{mus} princeps ad conflictum cum Sinano bassa ita se praeparavit, die 16. Octobris confessus est, et communicavit, arma sua priusquam indueret, a nuntio apostolico¹ benedici curavit, quibus indutus, publice antequam equum conscenderet, flexis genibus benedictionem petiit, in equo voce hilari militem ad fortiter pro Christi gloria dimicandum hortatus est. Dicebat etiam, se et catholicum et filium et servum catholicorum, et se sperare munitum armis spiritualibus a Deo certam victoriam. Cum ad primum pagum Valachiae tentorium Ser^{mi} principis extenderetur, statim ad illud ex alta, et vicina rupe, quam vulgo vocant *Lapidem regium*², praegrans aquila advolavit, atque in illo ita consedit, ut a nostris capta servetur in castris et datur tamquam bonum omen. Sed melius illud omen videtur, quod crebre et multe fiunt in castris confessiones, et multi ad fidem catholicam convertuntur. Praeterea apparuit noctu tamquam fax accensa in coelo, quam ut Ser^{mus} vidit, advocavit nuntium apostolicum et cum gaudio certum futurae signum victoriae interpretans illi demonstravit.

Decima octava die Octobris Ser^{mus} princeps victoriam insignem de Sinano bassa, et quod mirum est, sine ullo suorum sanguine ita reportavit. Nam cum Sinanus audisset Ser^{num} iam iam Tergovistum adventare, statim sibi suisque fuga consuluit, relicto praesidio Ali bassae Caramaniae, Michaeli olim vaivodae Valachiae, et iam Turcae in monasterio eiusdem civitatis, quod Sinanus ad formam arcis muniverat, in universum ad 4000 militum. Ser^{mus} autem mox potitus est impedimentis relictis in castris a Sinano, deinde plurimos Turcas statim coepit, qui cum ivissent, procul ad comneatum quaerendum et ignorassent fugam Sinani ad castra Sinani, tamquam ad propria, revertebantur. Tandem vero civitatem Tergovistum vi occupavit, et ipsam arcem die 18. Octobris, trucidatis omnibus Turcis, ac capto etiam manu ipsius Ser^{mi} ut quidam scribunt

⁴ Ez a nyomtatvány, sajuos, ma már teljesen ismeretlen.

⁵ Dült betűvel szedettük a kolozsvári jezsuiták e művenek címét; ha ugyan szószerint ez volt.

⁶ Egy évre rá a jezsuitákat kitiltották Erdélyből, azért nincs 1595-ig semmi levelük!

¹ Ez Visconti Alfonz cerviai püspök volt, ki a fejedelmet havasalföldi hadjáratára elkísérte.

² A mai napig is *Királykö*-nek nevezett határszéli hágó.

bassa, et alii etiam beghii capti. In castris et in arce ingens commeatus inventus est, magna copia impedimentorum, pulveris et tormentorum. Sinanus fugit versus Buchorestum, traiecturus celeriter Danubium, nisi prius a nostris intercipiatur. Sed quod mirandum est, quingenti soli Transilvani iverant prius proelium per invia [ad loca] inter Danubium et Buchorestum, ubi plurimos Turcas occiderunt [et tria] millia Valachorum christianorum, qui ducebantur captivi, liberaverunt.

Secun[dum] . . . intelleximus Sinanum etiam Buchorestum insignem munitionem cum 31 . . . tormentis et aliis impedimentis prorsus reliquisse, et cum pe[r]iculo Danubii pontem cum suis copiis transiret, pontem ipsum ob multitudinem Turcarum fugentium praeruptum et ita plurimos Turcas a fluvio absorptos esse, ipsum autem Sinanum ad munitionem insulae vicinae confugisse, ubi nunc a Ser^{mo} principe oppugnatur. Faxit Deus, ut brevi plenam ex tam insigni hoste victoriam consequatur.

Kivül: Nova ex Transylvania, ex literis P. Jacobi Wujeki, ex Societate Jesu, Claudiopoli 2. Novembris 1595 datis ad P. Superiorem Sanctae Barbarae Cracoviae; quas ego vidi et legi.

(Egymást kiegészítő két elrongyolt egykorú másolata a római Vallicelliana-könyvtár N. 16. köteté 243 és 247. l.)

20.

Kolozsvár, 1597 április 5.

P. Maior Péter rektor jóváhagyja Szilvási János gyalui katolikus lelkész könyvét.

Approbationes. Ego Petrus Maiorius Societatis Jesu viceprovincialis in Transylvania, vidi et diligenter perlegi, aliisque patribus theologis collegii nostri Claudiopolitani legendum et examinandum dedi librum egregii et eruditi d. Joannis Szilvási, concionatoris catholici, qui inscribitur: *Antiquitas et perpetua duratio fidei catholicae: seu tabulae testimoniorum ex sacris libris et sanctorum patrum scriptis, servata serie temporis petitorum, de octo magnis in fide controversiis, etc.* et nihil in eo invenimus quod non sit consonum fidei catholicae, apostolicae, romanae: immo futurum utilem iudicamus, si typis mandetur, in commune commodum.¹ In quorum fidem hoc scriptum dedi et manu propria subscripsi. Claudiopoli, 5. Aprilis 1597.

Petrus Maiorius Societatis Jesu viceprovincialis in Transylvania.

(Szilvási János fenti cz. ritka munkája elején.)

³ A [zárjelben] közölt helyeket Carrillo leveléből adjuk; id. levelezése és iratai 168. lapjáról.

¹ Ez approbatio után Szilvási János a fejevári udvarban élő Visconti erdélyi nuntiussal is jóváhagyatta (1597 április 29-én) s csak azután nyomtathatta ki a kolozsvári Heltai-nyomdában.

21.

Kolozsvár, 1598 augusztus 25.

P. Pollaert Marcell atya P. Viller Bertalan ausztriai tartományfőnököknek.

